



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia IX. Lucta Magdalene cum Iosepho de Christi funere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Tam citò Diua pares liquitur in lacrymas.
 Quae se omni geni permiscet amoris aroma,
 Sudor Arabs, Syrius succus, & Indus odor.
 Quin etiam violæque, rosæque, & odora Cyperus,
 Et ver omne genis vndat odoriferis.
 Scilicet ambrosios mellita per oscula rores
 Mulget odoratis Magdala fixa labris.
 Iesseidæ floris cinis hic quot spirat odores,
 Cinnama tot reddit Magdali gratus Amor.
 Funeris hoc fœnus. pia nōnne per oscula
 CHRISTVS
 Magdaleis afflat ver & aroma labris?

ELEGIA IX.

*Lucta MAGDALENÆ cum Iosepho de
CHRISTI funere.*

Vix gremio exceptit lacrymabile pondus
 IESVM
 Magdalæ, & leti lugubre depositum:
 Quid moror, & crudi solata tardo doloris,
 Nec spargo liquidâ membra cruenta croco?
 Ingemit, & vacuas CHRISTI fugientis in vlnas
 Labitur, amplexuque hæret in exanimi;
 Attollensque oculos cælo, palmasque supinas,
 Et suspiria anhelâ alta trahens animâ.
Oshiat, ah IESV! vox prima pependit hianti
 In labio: mœstus currit in ora latex.
 Verba dolor frænat, vincetos stupor occupat artus;
 Quamque riget funus, tam riget illa gelu:
 Desidensque solo, pallentem aspectat IESVM.
 Videris hoc, dices: Funera bina iacent.

Hxc



Hæc inter, pia cura sacri quem funeris vrget,
Appulit : attollit flebile pondus humo,
Iniectaque manu lacrymabile pignus Ioseph
Occupat, ereptum pectore Magdaleo.
Quæ modò visa mori, vigil ocyuſ emicat Euro
Magdalisa, & contra dulce retentat onus.
Ah quibus & quantis hæc vritur anxia curis!
Ah quibus & quantis viribus ille rapit?
Ah! IESVM! IESVM! IESVM, ah mea pignora
Ioseph
Eripis? ah I E S V Magdalisa orba suo?
Illacrymatque super, suspiriaque ægra resorbet;
In r apto Domino iam sibi visa rapi.
Cur adamantæis neruos non muto catenis,
Déque meis texo stamina lenta fibris?
Molliaque in lentum mihi membra recudo me-
tallum,
Vnde sequace fluat textilis ære labor?
Sintq; manus manicæ, pes compes idonea prædæ,
Captiuum ut teneant ferrea vincula Deum?
Dura quidem fateor res ferrum, & nescia frangit;
Aurea sed victor vincula reddet Amor.
Ferrea sint equidem voueo mihi fræna, sed cheu!
Diripiunt surdi vota caduca noti.
O modò felices nodo meliore rudentes,
Et clavi, Domini qui tenuere pedes!
Sed malè pro vincis longas vbi texo querelas,
Hei mihi! cælestes surripit hostis opes.
O mea lux, iam lucis inops, & imago doloris,
Sed cui adhuc dio pectore vita salit;
Aspicis heu! durus mea damna, nec vre dānis?
Aspicis, & nostri nil memor vrit Amor?

Hostis

92 BALDVINI CABILLIAVI LIBER III.

Hostis erat quicumque meum tulit asper IESVM;

Iam rapit hunc Ioseph, & mihi frater erit?

Dixit, & hamatos C H R I S T O mox inicit
vngues:

Reppulit iniectas hostis ab hoste manus.

Hinc tener affectus, rapit hinc sacra cura sepulcri:

Et pia lis C H R I S T I cœpit ad ossa ser.

Alter abire iubet, vetat alter adire sepulcrum:

Pugna calet discors, hic tenet, ille trahit.

Certat vterque, pares intendit vterque lacertos:

Et duo cūm pugnent, præmia neuter habet.

Hæret in amplexu Domini, spolioque doloris

Funereo, exuuiasque alter & alter habet.

Et tandem eluctans a Magdaleo complexu

Victor iō Ioseph rettulit induuias.

Ille fugit, sequitur rapido pede, & vrget euntē

Magdalensis infelix: ocyor ille rapit,

Marmoreoque sacram prædam commendat a-
sylo,

Obfirmatque graui prouida claustra ser.

Tum verò gemitus, suspiriaque ærumnosa,

Quique fluit mœstis fletus amarus aquis,

Singultusque, dolorque, & mille volumina
luctus,

Mille simul fuctus pectore Magdaleo.

Alternat dubiam pallorque ruborque figuram;

Quique in corde sedet, transit in ora dolor,

Et saxum ut tetigit, saxo defixa stetit mens;

Mens, heu! cum Domino saxe facta suo.

E L E-